



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. Vtrum ratione naturali certò cognosci possit hominem posse perfectè  
beati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

ficietur; ubi temperamentum erit præstantissimum?) partim ex aliquo forte liquore cælesti diuinitus infuso, quem credibile est etiam per stomachum cæteraque interiora diffundendum. Nam hæc membra postulant aliquem humorem externum, quo lubrica & humida conferuentur. Tactus autem suam beatitudinem habebit tum ex aura cælesti & cælestis corporis tactu, tum ex intimo sensu optimi temperamenti. Nam homo perfectè sanus ipsam corporis bonam constitutionem in se suauiter sentit.

Vis imaginatrix & appetitus inferior suam habent beatitudinem.

1. quatenus mouentur ab obiectis.

Inferitur Quintò, Vim imaginatricem & appetitum sensitiuum suam quoque beatitudinem habituros, idque dupliciter. Primò, secundùm se, quatenus mouentur obiectis sibi commensis. Sic beatitudo imaginatricis consistet in imaginatione præstantissimorum obiectorum, quæ sensibus externis percipientur. Appetitus verò sensitiuus in delectatione hinc consequente: delectatio enim in appetitu sensitiuo sequitur ex operatione sensuum, & rebus sensibilibus, tamquam ex integro obiecto; nempe tamquam ex re & possessione rei; vt supra diximus in simili: ex imaginatione verò horum, tamquam ex conditione seu applicatione obiecti. Sicut enim gaudium in voluntate sequitur ex bono præsentate tamquam ex obiecto de quo gaudet; ex intellectione verò tamquam ex conditione applicante & proponente obiectum: ita delectatio in appetitu inferiori sequitur proportionaliter.

Secundò, Quatenus mouentur per quandam sympathiam ab intellectu & voluntate. Sicut enim naturaliter nihil possumus intellectu percipere, nisi id ipsum per vim imaginatricem corporali specie in nobis depingamus; ita vicissim id quod per intellectum purè & spiritualiter intelligitur (quamuis supernaturaliter intelligatur) potest imaginatrix suo modo in se formare, sicque appetitum inferiorem mouere. Hinc fiet vt ex vi visionis Dei imaginatrix sit applicanda ad apprehendendum Deum suo modo. v.g. tamquam infinitam lucem & dulcedinem animæ; & consequenter appetitus sensitiuus maximam delectationem ex Deo sic apprehenso sit percepturus.

2. quatenus mouentur per sympathiam ab intellectu & voluntate.

Confirmatur; quia si in hac vita ex contemplatione intellectus; & gaudio voluntatis, interdum tanta suauitas in vires inferiores redundet, vt corporis imbecillitas eam vix ferat (iuxta illud Psalmi 72: Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. Et Psalmi 83: Cor meum & Caro mea exultauerunt in Deum viuum &c.) quanta ibi redundatura est delectatio in vires inferiores ex clara visione & fruitione Dei?

Hinc sequitur; Deum non tantum fore obiectum beatificum virium superiorum; sed etiam modo quodam, inferiorum; scilicet imaginatricis & appetitus sensitiui.

## Q V Æ S T I O Q V I N T A.

### De consecutione Beatitudinis.

#### ARTICVLVS PRIMVS.

##### Vtrum homo possit consequi Beatitudinem?

**C**onclusio est affirmans. Patet ex Scripturis, quæ docent hominem posse consequi vitam æternam, cælestia gaudia, regnum cælorum, visionem Dei, & similia, quibus vera beatitudo significatur. Matth. 25. 23. 6. 8. prioris ad Cor. 12. 1. Ioan. 3.

#### D V B I V M.

##### Vtrum ratione naturali certò cognosci possit hominem posse perfectè beari?

**S**cotus in 4. d. 49. q. 8. affirmat. Verius tamen credo non posse id vllis rationibus naturalibus omnino certò conuinci. Ita sentiunt plerique Doctores. Cuius signum est quòd nemo Philosophorum hactenus cognouit Deum ab homine clarè posse videri; in qua clara visione consistit vera beatitudo, & nusquam alibi. Si enim aliquis illorum id putasset fieri posse, haud dubiè statuisset in eo beatitudinem. Itaque mysterium est supernaturale id fieri posse; vt docetur 1. parte. q. 1. & 12.

Scotus affirmans refutatur.

Rationes quibus probari videtur quòd rationi naturali id cognosci possit, non conuincunt: eæ sunt possimum duæ.

Prior est, quòd homo per intellectum & voluntatem sit capax boni vniuersalis.

Ad quam responderi potest: verum id esse hoc sensu. Hominem posse aliquo modo omne bonum intellectu apprehendere, & voluntate appetere, hinc tamen non conuincitur posse omne bonum perfectè & intuitiue cognoscere.

Altera est, qui cognoscit effectum, desiderat videre causam: atqui hoc desiderium naturale non potest esse frustra: ergo potest expleri. Non expleretur autem nisi videat causam, ergo &c.

Responderi potest; hoc argumento, si efficax esset; probatum iri hominem non solum posse videre Deum, sed etiam re ipsa visurum; alioqui desiderium naturale frustraretur: hoc tamen sola fide credimus: potuisset enim Deus hominem eondere in nuda natura; & ad visionem beatificam non destinare.

Adde; non esse euidentis id omne fieri posse quòd homo sic naturaliter desiderat: aut huiusmodi desiderium non posse esse frustra. Non enim est efficax, sed velleitas tantum; & simplex affectio, quæ etiam impossibile esse potest; vt docet Aristoteles 3. Ethic. cap. 2. & infra ostenditur.

Hæ tamen rationes faciunt veritatem illam satis probabilem & rationi consonam, quamuis non conuincant.